

parte Domini Regis, assignavimus in praesentia Domini Episcopi Ladislai, eo jure, et ea Libertate, qua dictus Pribislaus eam tenuit, perpetuo possidendam, et ibidem pro voluntate sua Grandiam aedificandam. In cujus rei Testimonium praesentem paginam, sigilli nostri munimine signatam, Domino Abbati contulimus. Datum Anno Domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo quarto. Idus Martij. In Insula. Pristaldus Noster Jacobus Comes noster Curialis de Bichich (Bihać).

Ex transsumpto Privilegiorum Abbatiae B. M. V. de Thopusko.

LXII.

Anno 1267. Kal. Martii.

Bela IV. Rex Cives de monte Greč seu Zagrabia a solutione omnium tributorum et tricesimarum exemptos reddit.

Bela Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Officii nostri debitum remedijs inuigilat subditorum, nam dum eorum utilitati prospicimus, dum concedimus per futura plebum numerus crescit iugiter et augetur, in quo Regis gloria specialiter denotatur. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod dilecti et fideles nostri Ciues et hospites in nouo Castro nostro, per nos iu monte Grecz constructo existentes, ad nostram Majestatis accedentes presentiam nobis revellare procurarunt, quod cum ipsi in confinio Regni, in partibus Sclauonie sint constituti, et preter concessa tributa et transitus ac cum suis mercimoniis questum non possent habere aliqualem, et in his ipsa Ciuitas nostra molestiam pateretur non modicam; a nobis humiliter postularunt, ut nos ipsos a solutione dictorum tributorum et tricesimarum redderemus exemptos, seu absolutos. Nos igitur dignis et iustis petitionibus eorum inclinati, et maxime quia iidem Ciues nostrj in diuersis negotijs Regni nostri et nostris debitam fidelitatem sancte corone nobisque semper exhibuerunt, non parcendo rebus et personis, imponendo se et suos diuersis casibus et fortunis, de consensu et bona uoluntate domine regine, Charissime consortis nostre, nec non omnium Baronum regni nostrj nobis assedentium, hanc specialem gratiam eis duximus faciendam, quod ipsi Ciues nostri, intra terminos Regni nostri, aliquot tributum, tam in aquis quam in terris, nec aliquam Tricesimam in ullo loco soluere teneantur, sed sint a solutione eorum exempti penitus et immunes; et hoc cum alijs omnibus libertatibus ipsorum, similiter per nos eisdem concessis, inuiolabiliter confirmamus et per nostros successores uolumus conservari. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostrj munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasij prepositi